

8 B' 06H H

ΠΑΝΕΠΙΣΤΗΜΙΑΚΗ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ



924 00077 3002



*Tis Agnomas Jovis, tu
S. Reparatus*
STUDIA *Beuzet 27.*


VERGILIANA

DE AENEIDOS FORMA QUAESTIONES

Thesim proponebat Facultati Litterarum
Universitatis Atheniensis

CONSTANTINUS N. HADJIDÉMÉTRIOU

PIRAEUS



ATHENIS

DIBUS P. D. SACELLARII

MDCCCXCV



BKL
H2



STATE OF
NEW YORK
OFFICE OF THE
COMPTROLLER
AND ALBANY

Αριθ. 121.445


STUDIA VERGILIANA

DE AENEIDOS FORMA QUAESTIONES

Thesim proponebat Facultati Litterarum
Universitatis Atheniensis

CONSTANTINUS N. HADJIDÉMÉTRIOU

PIRAEUS



ATHENS

IN AEDIBUS P. D. SACELLARII

MCCCCXCV



FRATRI MEO CARISSIMO.

S.



Διαπέμπεται πρὸς ἐξέτασιν τοῖς κ. κ. Καθηγηταῖς τοῦ
Φιλολογικοῦ τμήματος.

Ὁ τῆς Φιλοσοφ. Σχολῆς Κοσμήτωρ

Σ. ΒΑΣΗΣ

Ὡς πρὸς μὲν τὴν οὐσίαν θὰ εἶχέ τις ἴσως ἱκανὰ νὰ ἀν-
τείπῃ, διότι φύσει αἱ τοιαῦται γραμματολογικαὶ κρίσεις, αἱ γε-
νικώτεραι, ὑπόκεινται εἰς πολλὴν ἀμφιλογίαν—ἀδιάφορον ἂν
εἶναι τοῦ συγγραφέως ἢ ἂν ἄλλοθεν ἐλήφθησαν. Ἐκτίθενται
ὁμως καλῶς καὶ ἐναργῶς τὰ πράγματα καὶ κατὰ μέθοδον. Ὡς
πρὸς δὲ τὴν γλῶσσαν παρατηρῶ, ὅτι, ἂν καὶ ἐνιαχοῦ ἀποσκικτῆ
ἀπὸ τοῦ δοκίμου λατινισμοῦ ἐνεποίησεν οὐδὲν ἥττον εἰς ἐμὲ
μεγάλην εὐφροσύνην. Ὅχι μόνον διότι ὁ συγγραφεὺς τῆς δια-
τριβῆς ἔδειξεν ἀξιόλογον καὶ ἀξιέπαινον καθ' ὅλου εὐχέρειαν
περὶ τὴν χρῆσιν τῆς Λατινικῆς γλώσσης, ἀλλὰ καὶ διότι ἐθεώ-
ρησα τὴν διατριβὴν ταύτην, τὴν πρώτην, ἣτις ἀπὸ τῆς συστά-
σεως τοῦ ἡμετέρου Πανεπιστημίου γράφεται λατινιστί, ὡς οἰω-
νὸν ἄριστον καὶ ὡς τεκμήριον ἀξιόλογον τῆς ἀπὸ τινος χρόνου
παρὰ τοῖς ἡμετέροις φοιτηταῖς παρατηρουμένης προκοπῆς ἐν
τοῖς λατινικοῖς γράμμασι. Διὰ ταῦτα καὶ μετὰ πολλῆς προθυ-
μίας ἀνέγνωσα τὴν διατριβὴν καὶ μετὰ ἴσης προθυμίας καὶ
ὄχι ὀλιγωτέρας χαρᾶς ἐγκρίνω αὐτήν.

Ἐν Ἀθήναις τῇ 30 Ἰανουαρίου 1895

Σ. Κ. ΣΑΚΕΛΛΑΡΟΠΟΥΛΟΣ

Καθηγητῆς τῶν Λατινικῶν Γραμμάτων ἐν τῷ
Ἐθνικῷ Πανεπιστημίῳ.

Σ. ΛΑΜΠΡΟΣ, Δ. Χ. ΣΕΜΙΤΕΛΟΣ, Χ. ΠΑΠΠΑΔΟΠΟΥΛΟΣ,
Γ. Ν. ΧΑΤΖΗΔΑΚΙΣ, Κ. ΚΟΝΤΟΣ, Γ. ΜΙΣΤΡΙΩΤΗΣ, Ν. Γ.
ΠΟΛΙΤΗΣ, Ι. ΠΑΝΤΑΖΙΔΗΣ, Π. ΚΑΡΟΛΙΔΗΣ, Δ. ΠΑΤΣΟ-
ΠΟΥΛΟΣ, Μ. ΕΥΑΓΓΕΛΙΔΗΣ.



STUDIA VERGILIANA

I

Prima virtus carminis epici est unitas; cujus poeta compos fit unam fabulam canendo, id est unam actionem persequendo: nam tum in unum punctum intentum animum habemus et, ut ita dicam, quasi infixum, neque ad cetera extra primariam fabulam aversum: potest sane fieri, ut epica actio complexa sit, sed ita tamen, ut non argumentum principale carminis singulis episodiis obscuretur; immo vero facta singularia debent sustentare progressionem carminis. Exemplis perfectissimis talis rationis tractandae fabulae epicae antiquitas nos donavit, Iliade Odysseaque: Itaque sententiis iis imbutus sapientissimus ille Aristoteles docuit (Περὶ Ποιητ. 23 καὶ 8) epos oportere unam modo tragoediam continere, eoque peccasse eos qui Heracleidem et Theseidem composuerint quia unitatem personis, non actioni aptarint; ergo multas tragoedias ex iis carminibus nos elicere posse.

Simili modo Aeneis mihi videtur claudere; Aeneam enim fuisse cardinem omnium quae narrat poeta maxime perspicuum est, sed non eo fit ut carmen necessariam unitatem amplectetur. Aeneis in duas



actiones discinditur acque tragicas: nam in primis libris de amoribus Didus agitur, in ultimis de dimicatione inter Aeneam et Turnum de Lavinia; scimus autem Vergilium amores Elissae tractasse magis exemplo Euripideae Medae quam Apollonii; iidem enim affectus turbant ambas heroidas, eadem verba audimus ex iis, atque eadem est compositio fabulae (Pierron: Histoire de la Litter. Romaine p. 397); primi igitur libri Aeneidos egregiam praebent materiam ad tragoediam comparandam; et quidem poeta eximius Italus Metastasius «*Didone abandonata*» tragoediam e Vergilio elaboravit. At etiam altera ex parte dimicatio Aeneae et Turni tam dramatica a poeta fingitur, ut novam tragoediam possimus hinc conformare atque eam optimam: et suspicor ejusdem argumenti fuisse Sophoclis «*Ἑλένης γάμον*». (*)

Ergo manifestum factum animum auditoris in diversas partes distrahi; quo fit ut poetam ducamus duas illas modo fabulas voluisse ante cetera episodica carminis illustrare, cetera compilasse amore Homeri imitandi. Quam ob rem omnis unitas carminis deleta est, cum non perspiciamus summam actionis, quae nostram mentem alliciat; Aeneis sicut nunc habet non potest in unam solam tragoediam converti. Vergilius nobis narrabit quibus Aeneas erroribus jactatus tandem urbem a dis promissam condiderit. Errores eos poeta non debet omnes cantare, sed unum solum ex iis deligere insigniorem, graviorem, et cum eo ita conjun-

(*) Nota est fabula procorum Tyndaridis. Non assentior opinioni Welckeri de Ἑλένης γάμῳ (Die Griechischen Tragödien κτλ. I, s 72—73), quod hoc drama Sophoclis tragoediam arbitror fuisse.



gere secundarios, ut non illum obscurent. Odyſsea nobis narrabit reditum Ulixiſ in patriam: sed nonne ſimul omnes ejus errores cognovimus? et in Iliade quidem de furore Achillis agitur: nonne tamen poeta univerſe imaginem praebuit belli Trojani? Cur igitur Vergilius ex omnibus quae paſſus eſt heros duos illos eventus praeter ceteros ornat? num naves in Sicilia concrematas eſſe, urbem in Creta Trojanos condidiſſe, tot pericula navigationis effugiſſe, num ea parvi momenti fuerunt ad nova Pergama in Italia inſtauranda? Vates Romanus, ut poeta epicus, non debebat more novercae tractare fabulam carminis; ſi tamen aliis ex cauſis impuſus erat ſic conformare Aeneidem, de hoc in praesenti non quaero. Interea nos cognitum habemus, ſic ab initio Vergilium Aeneidem delineaſſe ut nunc videmus; nam Donatus (p. 59. 16 B) tradidit ita eam poetam ſcripiſſe ut primo «proſa oratione formatam digeſtamque in duodecim libros, particulatim componere inſtitueret prout liberet quidque, et nihil in ordinem arripiens»; quod et ab Ribbeckio confirmatum eſt, qui in «Prolegomenis» monſtravit, diverſos libros Aeneidos, non per ſucceſſionem quam nunc habent ſcriptos fuiſſe ſed inordinate ex comoditate poetae.

Non puto ſententias meas de unitate inutiles exiſtimari: nam, ut ante dixi, de ipſa prima virtute carminis agitur. Rectius ſane Saint-Beuve (*Étude ſur Virgile* p. 155—159) taxavit grammaticorum inſipidas contentiones de temporis ſpatio intra quod fiunt celebrata a Vergilio.



Satis mihi videor monstrasse Aeneidem unitate carere. Quomodo autem poterat poeta eam adipisci? non est difficile respondere. Totius carminis pars principalis sunt gesta Laurenti; sit igitur ea junctura narrationis; poeta scilicet cantabit dimicationem modo Aeneae et Turni, cetera secundarie cum iis conjugentur; sed maxime animadvertendum ne ipse poeta narret amores Didus: hoc munere fungetur Aeneas. Igitur, Aeneis initium capiet a discessu herois ex Africa, id est a quinto libro; in proemio poeta, ut est consentaneum, aliquid nos docebit de amoribus Elissae, sicut Homerus initio Odysseae satis de Calypsus amore submonet; post certiores nos faciet de morte Anchisae deque causa ludorum; similiter Homerus per Telemachum edocet de procorum epulis; hinc res rectam viam ingrediuntur. Neque difficile est similitudines in sequentibus reperiri in Odyssea atque Aeneide: ludi quos Aeneas in honorem patris facit, nonne possunt comparari cum conviviis procorum? non furor feminarum in Sicilia cum recriminationibus inter Telemachum et superbos illos juvenes? non umbrae Anchisae apparitio et mandata cum Minervae accessu et consiliis? minime volo dicere quintum librum Aeneidos confectum esse exemplo primorum Odysseae, sed in universum ostendi Aeneidem nullo modo offensuram fuisse epicas condiciones si a quinto libro initium duceret.— Quintus et sextus liber bene habent. A septimo de ipsa summa actionis agitur; sed quis tamen lectorum non moleste tulit tantum bellum incensum



fuisse fere sine causis? Rex Latinus sollicitus quibusdam monstris oracula Fauni consulit: a quibus responsum datum est ut externo genero filiam suam sponderet (Aen. VII, 59—106).

Ne pete connubis natam sociare Latinis
 O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
 Externi venient generi qui sanguine nostrum
 Nomen in astra ferant quorumque ab stirpe nepotes
 Omnia sub pedibus qua sol utrumque recurrens
 Aspicit Oceanum vertique regique videbunt.

Quis autem erit gener ille, quomodo agnoscemus eum, de iis oracula tacent; et tamen Latinus simulac Aeneas oratores misit atque hospitium petivit, non modo suam amicitiam promittit, sed etiam filiam suam in matrimonium offert, hac simplici cogitatione impulsus (VII, 24 —273).

Hunc illum fati externa ab sede profectum
 Portendi generum paribusque in regna vocari
 Auspiciis: huic progeniem virtute futuram
 Egregiam et totum quae viribus occupet urbem

Sed isne est quem oracula portendunt? credendum est oratorum jactationibus an non? cum Amata advenam praedonem appellat (VII, 360—362), nonne recte dicit et cogitat? Nam Latinus numne cognovit qualis esset advena ille? num vidit eum? Cur igitur tam facile persuadet sibi illum esse ab oraculis indicatum generum?

Apertum est Latinum inconsiderate spondisse suam filiam; id primum. At bellum cur arsit? cur



Turnus ciet pugnas? Probavitne Aeneas mandata regis? poeta nihil dicit de eo, et, quamquam scimus Laviniam Aeneae promissam esse a fatiis (VI, 764, II 783—784), tamen debemus dubitare de responso ejus, cum poeta taceat, et Anchisiades terram solum petierit; ita et Turnus inconsiderate bellum incitat; verum est Junonem stimulare Turnum, at tamen cur poeta deum ex machina producit in scenam? Nonne simplicius verisimiliusque erat poetam primum oracula lucidiora reddere, deinde inducere Latinum promittentem suum hospitium modo, non terram neque filiam (id, quod prudentis est, cum nesciat quibuscum agat), denique (post versum VII, 285) ita narrare, Aeneam gavisum benevolentia regis venisse ad Latinum quo plura impetraret, Latinum autem miratum virum et virtutes ejus, agnoscetemque generum ab oraculis indicatum offerre ei terram, filiam, regnum? Quam nunc Turnus justius exardescit furiosus, quam bellum justius oritur!

Ergo liber septimus mutandus est; sed nunc etiam venit tempus idoneum ad inserendam narrationem errorum herois. Sicut in *Odyssea* Ulixes apud Alcinoem exposuit suos errores, item hic Aeneas enarrabit suos Latino: et narratio illa maximo argumento erit regi Aeneam esse eximum virum de quo oracula portenderunt. Apologus Aeneae continebit secundum et tertium librum, post primum et quartum, denique brevissimam delineationem quinti, sexti et partis septimi libri. Primum et quartum librum mutandos esse nemo est quin intelligat nam et executenda sunt quae de deorum congressibus dicuntur et mors Didus aliter narranda, cum Aeneas tristissimum finem amorum suorum



apud inferos cognoverit. Neque possum negare sic nos multa ornamenta carminis amissuros esse, verum enimvero unitas talis est virtus ut juste sit digna sacrificiis pretiosis. Quinti et sexti libri adumbratio non habenda est pro duplicatione narrationis, ut dicat aliquis melius futurum fuisse, si Vergilius iniret carmen a libro septimo; nam primum Odyssea documento nobis est ejusdem summariae expositionis rerum (Odys. H, 240--297), tum narratio Aeneae longissima molestissimaque esset, postremo liber quintus et sextus res tales amplectuntur, quae non possint in narratione Anchisiadae comprehendi; exempli causa, ludi funebres in honorem patris, nulli curae erant Latino, et praedictiones Anchisae in Elysiis de futura gloria Romana, ore Aeneae dictae, non Anchisae nihil gravitatis haberent.

III

Sed quibus ex causis poeta suum carmen induit praesenti forma? Equidem duas reperio; primum adflatum tragicae Musae. Tragoedia semper deliciae fuit ingeniorum emunctorum Romae; plebs inculta malebat spectare ludos gladiatorios et divitias in scena ostentatas (Hort. Epist. II, 1, 182--207); sed qui mentem expolierant studio graecorum exemplarium et Musam colebant, semper benevole oculos vertebant ad tragoediam; scriptorum clarissimi quacumque ratione cum ea versati sunt. Livius Andronicus, Naevius, Ennius, Pacuvius, Attius, Romani tragici, non parva ingenia fuerunt. Asinius Pollio, Varius, ipse Ovidius tragoedias composuerunt; omnibus ingenuis



artibus ac disciplinis eruditus magnus Cicero, maxime delectabatur Musa tragica, et quotidianas molestias levabat interpretando tragoedias graecas; denique Horatius in Arte Poetica nonne potissimum de rebus scenicis voluit docere? Itaque et Vergilius vir unus omnium maxime deditus Graecis et Latinis poetis, amator venustatis elegantiaeque poesis, non poterat negligere tragoediam, eximiam artem ingenii; nonne Maecenae et Angusti frequentatores, quorum unus noster, poetae tragici erant aut admiratores graecorum tragicorum? Sed quorsum ego plura; quicumque Aeneidem legit, etiam Bucolica, facile perspexit personas Vergilianas indui severitatem cothurni: in affectibus et factis personarum minus inest naturae et plus dramaticae rigiditatis; jamdudum id Heyne animadvertens dixit (v. II, p. XXXIV—V, ed. tertia): «Ex graecorum tragediis imprimis Euripidis omnino poetam plurimum profecisse, ex iisque orationis suae dignitatem passim et majestatem, sententiarum quoque acumen, granditatem, pondus, interdum tragico propius, affectuumque gravitatem tragicam, ut in Didone, in Pallante, in Niso et Euryalo, comparasse equidem suspicor. Magna earum pars a superioribus poetis latine jam erat reddita; quae res poetae non parvum adiumenti ad orationis cultum et copiam afferre debuit». Nemo igitur dubitabit quin Vergilius ad tragoediam propensus fuerit. Sed dicat aliquis «num teo reprehendis poetam?» non, terque quaterque non; in carmine epico, Romano nullo modo poterat poeta moribus mitibus et candidis, sicut apud Homerum, exornare personas; natura Romana animosa et indomita amat mores facinorae convenientia



suae audaciae; carmen tale, qualis *Odyssea* et *Ilias* caderet Romae Vergilius canebat Romanis: id optime intellexit. Itaque factum est ut amores Didus, et dimicationem Turni et Aeneae, poeta tragico modo tractaret, et unitatem carminis contemneret.

Secundam causam dico consilium quo carmen attigit poeta. Traditum est nobis a Servio (ad Aen. VI, 752) Aeneidem primo inscriptam fuisse «Gesta Populi Romani», quia historiam Romanam contineret; et profecto id est propositum poetae. Maro eximius, quamquam ab Homero pendet, tamen ubique ostendit merum amorem suum patriae, ut nullum magis Romanum Aeneide carmen habeamus. Aeneis fuit codex Romanae religionis et traditionum, gestorum insignium, genealogiarum, morum, rationis reipublicae administrandae, ceterorum institutorum (Benoist: *Virgile, Introductions des vol. I et II, passim*). Sed omnium maximum est, ut et Serviana inscriptio monstrat, quod poeta nobis exponet, quomodo condita sit quomodo constituta sit Roma, id est natio Romana; nam sub Aeneae fortunis, latent fortunae Romae.

Roma a parvis initiis orta, magna et valida post Carthaginem debellatam apparuit; omnium enim periculorum maxima fuere bella Samnitica et Punica; Italis victis tuti erant Romani a vicinis: victis postea etiam Carthageniensibus pepulerunt omnem timorem hostis gravis. Ea Vergilius in animum induxit; itaque in Aeneide indicabit quomodo Romani victis Italis et Carthagine deleta civitatem confirmaverint. Non igitur temerarius, credo, iudicabor, si dicam amores Didus alludere ad bella Libyca, dimicationem autem Turni et Aeneae ad bella cum Italis gesta. Cum vi-



demus Didonem Aeneam blanditiis retinuisse in Africa et persuasisse ei ut renuatiaret proposito suo de novis Pergamis instaurandis, nonne versatur ante oculos periculum imminens Romae ab hosti externo? Aeneas suis factis verbisque et volentem se perhibens fugere, et haesitantem, nonne imago clara est Romae de victoria laborantis et victricis, tamen aliquoties victae? verum tandem aliquando Roma vicit et Carthago deleta est ergo Aeneas condet Romam, Dido morietur.

Altera autem ex parte, Turnus, tot cum sociis saevus in Trojanos, admonet nos gentium Italicarum, quae ab initio quidem reipublicae Romanae, sed maxime temporibus bellorum Samniticorum Romam aggressae sunt. Non me latet et in obsidione castrorum Trojanorum, et in sociis utrimque accessitis, et in ipsa dimicatione de Lavinia, Vergilium imitatum esse Iliadem, attamen si Turnus enititur omni ope ut regia virgo sibi in matrimonium data sit, poeta auditoresque sui sciunt bellum ortum esse ex hoc, utrum advenae possessuri essent novas sedes in Italia, id quod Latini timebant, necne; eoque Itali convenerunt, non quia a Turno coacti essent, sed quod animadvertabant periculum ex advenis sibi omnibus impendere; ita, minime agitur de matrimoniis et procorum contentionibus, at multo magis de ipsa libertate Italicorum cui minitabatur colonia nova externae gentis bellicosae. Nonne similiter Romam bello persecuti sunt vicini, quod dominari volebat? quid interest inter Romam, coloniam Latinam, et coloniam Trojanam? Quis castra Trojana, Novam Trojam possumus dicere, videndo extrema periclitantem, et dona prommittentem, qui



nuntiaret res Aeneae, non reminiscitur Romae omnes cives in arma vocantis, quod periculum arte eam cingebat? Utrum, est vana imaginatio an inest aliquid veritatis in dicendo vallem ubi Turnus insidiabatur esse ferculas Caudinas, et, quod sequitur, Turnum infelicem, esse fortem sed aequè infelicem Pontium Herennium? neque, mehercle, possum abstinere quin tentem comparare Diomedem, graecum ducem, a regionibus longiquis arcessitum et negantem suum auxilium, cum Pyrrho Epirota, qui, quamquam vicit subsidio Italii, tamen nihil profuit iis. Sed haec via parationum sentosa atque periculosa est; sit nobis satis dicere sex ultimos libros Aeneidos alludere universe ad bella contra Italos.

Nunc facile est animo comprehendere consilium Vergilii et rationem carminis Vergiliani. Vates Romanus, ut ante dixi, vult nobis monstrare quomodo constituta sit Roma: ita unumquodque episodium poematis alludet ad aliquid ex gestis Populi Romani; praecipue tamen poeta celebrabit bella Samnitica et Punica. Ecce igitur cur Vergilius, qui etiam rebus aperte Romanis inducit colorem Homericum, ecce cur non serviat unitati epicae; amores Didus poeta volebat esse insignem partem carminis: ergo, si conformaret Aeneidem sic ut antea proposui, nihil aliud essent, quam ex plerisque episodiis unum; quod in carmine populari Romano non poterat fieri. Quamobrem poeta neglexit unitatem carminis suo consilio deditus ac quasi sprexit superbe.

IV

Unum extremo reliquum est. Aeneis exponit



Gesta Populi Romani; Aeneas autem quis est? Loco superiore comparavi Turnum Pontio Herennio: sed denuo admoneo meos lectores comparationem generalem fuisse: nam Vergilius aemulatione Homeri etiam heroum ejus naturas imitatur; itaque Turnus fictus est exemplo Hectoris Turnus fortis, sed et animo deficiens similis est Hectori superbo et bellicoso, denique tamen, cum mortem sibi auguraretur, maesto et desperanti. Sed haec hactenus. Quis autem est Aeneas? Utique non Achilles; nonnulli contendunt esse senecam homericum: id saltem significaret etiam Aeneam colorem homericum indui; hic quaeritur quis lateat sub illo; opinionem, qua Aeneae Vergilius naturam Augusti inculcaverit, rectissimam arbitror, quandoquidem tum mentem poetae implebat imago illius mortalis dei; sed tantum modo addico me tali opinioni, quantum perspicuum est similes esse solum utriusque severitatem morum et dignitatem naturae; in ceteris maxime inter eos interest: quidquid enim Augustus fecit, pro domo sua, ut ita dicam, fecit; in Aeneide tamen, si quis bene intellexit propositum poetae, videt omnia facta Aeneae ad utilitatem Trojanorum pertinere; opinione Vergilii nova Pergama cadent Trojani duce Aenea: is est a diis delectus ad hoc munus explendum (confer, Fustel de Cujanges: La cité antique, p. 179 sequ.); Aeneas fuit quodam modo animus corporis, quod e Trojanis constabat, fuit caput Novae Troae. At qui magistratus talis fuit Romae? notissimum, consules, vel potius consul major. Aeneas est consul Trojani Roma. Aeneas idem miles atque sacerdos, dux atque minister populi, nunc societatem cum Evandro conjungens, nunc



singulari certamine pro Trojanis pugnans, nonne simillimus consuli apparet, nonne omnibus muneribus ejus fungitur? si neque Achilles est Aeneas neque heros epicus, factum est hoc, quod consulis facta non obscurant civium facta; omnia cives perficiunt, consule duce, et Trojani omnia ipsi, duce Aenea. Equidem quin Anchisiades sit consul, non dubito.

Non spero fore ut audacter dicta judicentur quae disserui. Aeneis sine ullo dubio exponit gesta Populi Romani, et ex omnibus carminibus Romanis id vere populare fuit; carere quidem unitate Aeneidem, non potest fieri ut negemus, tamen ignoscamus id tantae magnificentiae carminis: non enim saepe sidera paris splendoris in coelo poetico apparent. Quapropter cum Afro Domitio (Quintil. X. 1, 86) possumus dicere «Secundum esse post Homerum Vergilium, propiorem tamen primo quam tertio».





